



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. III. An habitus Charitatis augeatur etiam per actus remissos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

ARTICULUS III.

An Habitus Charitatis augeatur etiam per actus remissos.

non enim amplius sunt amici: sed ne esse quidem se dignum putant; hoc autem in Diis clarissime patet, qui plurimum omnibus bonis præstant: ergo non datur amicitia inter Deos, & homines, minus inter verum DEUM, & hominem. Confir. 1. Homo est essentialiter servus DEI: sed servus non potest esse amicus domini sui: ergo nec homo potest esse amicus DEI. Confir. 2. Nescimus, an DEUS nos redamet: ergo non potest dari in nobis mutua redamatio. Resp. concessio textu Aristotelis, neg. conf. Philosophus non agnovit hanc accidentalem in natura proportionem hominis cum DEO, quod ipsi tanquam ethnico ignoscendum est; quamvis Haunoldus l. 3. tract. 2. n. 549. velit, Aristotelem admisisse aliquam amicitiam inter DEUM, & hominem; licet eam voluerit, esse non vulgarem, seu ejusdem rationis cum amicitia hominum inter se.

764. Ad 1. confir. dist. mi. Servus non potest esse amicus domini sui, sine speciali favore domini. conc. mi. cum speciali favore domini. neg. mi. & conf. Licet enim servus non possit ex se, sive ex jure sui status, exigere amicitiam cum domino suo, potest tamen ad eam elevari per specialem favorem. Equidem in humanis, si dominus servum suum elevat ad statum amici, tollitur servitus; quia hæc tantum accidentaliter est (potuisset enim, qui natus est servus Caji, nasci ejusdem dominus) & hinc per accidentalem etiam favorem domini tolli potest: sicut sæpe etiam aliis modis à lege probatis tollitur. At verò, si DEUS creaturam rationalem elevat ad statum sui amici, per hoc non tollitur servitus creaturæ respectu DEI; quia essentialiter est, & tolli non potest.

765. Ad 2. confir. Resp. 1. om. ant. neg. conf. Etiam si omnino nesciremus, DEUM nos amare, possemus tamen ipsum amare propter ipsum: & sic saltem ex parte nostra daretur actus amicitiae, licet nesciremus, an etiam daretur ex parte DEI, adeoque nesciremus, an amicitia esset mutua. Quia tamen Philosophus requirit ad amicitiam, ut sit amor mutuus non latens. Resp. 2. neg. ant. sumus certi, quod DEUS nos redamet, si nos ipsum vero amore amemus: imò prior ipse dilexit nos. Non autem requiritur, ut absoluta certitudine sciamus, quod DEUS nos amicabiliter redamet; alias haberemus absolutam certitudinem de statu gratiæ, quod est falsum.

Dices. DEUS omnia, quæ amat, ultimato refert ad se tanquam finem ultimum, à se necessario intentum: ergo non amat nos amore amicitiae. Resp. neg. conseq. Licet DEUS tandem omnia, quæ amat, referat ad se, tanquam finem ultimum excellentiæ, tamen simul nos ita amat, ut ex hoc suo amore velit nobis bona; quia nobis bona sunt, eaque referat ad nos, tanquam finem utilitatis, quod sufficit ad amorem amicitiae, qualis possibilis est inter DEUM, & hominem.

766. Suppono 1. habitum charitatis, & habitum gratiæ (seu charitatem Theologicam habitualem, & gratiam habitualem) quos in tract.

de gratia n. 266. dixi, verosimiliter esse distinctos, tamen esse inter se ita connexos, ut aucto uno, augeatur & alter, ut docent Haunoldus l. 3. tr. 2. n. 560. & Tannerus tom. 3. disp. 2. q. 2. dub. 5. n. 143. ex hac solida ratione; quia, DEO esse gratum, & esse ejus amicum, se mutuo consequuntur: ergo, quantum quis DEO fit gratus per gratiam, tantum fit amicus per charitatem: nec puto, ullum Theologum hac in re dissentire: imò Rhodes tr. 6. de virtutibus disp. 1. q. 3. sec. 2. censet, parum esse rationem de gratia, ac omnibus aliis habitibus infusis. Suppono 2. charitatem posse intensivè augeri, seu esse capacem intensificationis, quancunque dein ratione intendatur, quod Philosophis disputandum relinquimus: & hoc iterum supponunt omnes Theologi.

767. Suppono 3. habitum charitatis intendi, vel augeri, saltem per actus intensiores ipso habitu, e. g. si quis, habens habitum ut duo, eliciat cum speciali auxilio DEI actum ut quatuor, augebitur habitus ejus. Nec potest negari talis casus possibilis; si enim peccatori, non habenti habitum, datur e. g. auxilium, ut possit elicere actum ut tria (non enim peccatores tantum possunt elicere actus remissos, sed aliquando valde intensos, & hos defacto elicerunt, e. g. S. Magdalena, quando dilexit multum) cur justo habenti habitum ut duo, nunquam datur auxilium ut tria, vel etiam auxilium ut quatuor, cum quo eliciat actum habitu intensiorem? Tunc autem intendi habitum omnes concedunt; alias nunquam tenderetur, consequenter nec gratia, quod est falsum. Questio jam est, an isti habitus etiam intendantur per actus remissos, e. g. habitus intensus ut tria, per actum intensum ut duo.

768. Dico. Habitus charitatis intenditur etiam per actus remissos. Ita communis auctores, quos vide apud Tannerum tom. 3. disp. 2. dub. 5. n. 143. Rhodes, & alios. S. Thomas autem, qui 2. 2. q. 24. a. 6. in corp. posset videri contrarius, verosimiliter tantum negat augmentum notabile charitatis: non autem omne augmentum; nam ad 2. explicat augmentum, vel, ut vocat, dispositionem ad augmentum, similitudine guttarum lapidem excavantium: quarum tamen qualibet, quamvis non notabiliter, lapidem excavat: atque hac ipsa modica excavatione ad majorem, seu notabiliorem, suo modo disponit: & hinc S. Doctor videtur illam minorem excavationem appellare dispositionem ad excavationem majorem. Prob. conclusio. Gratia sanctificans, sive sit

distincta, sive identificata cum habitu charitatis, augeatur per actus supernaturales bonos, etiam remissos: ergo etiam habitus charitatis augeatur per eosdem. conf. patet ex supposito primo.

Prob. ant. 1. autoritate communi Theologorum, quorum aliqui acrius oppositam sententiam reprehendunt. Prob. idem ant. 2. ex Scripturis, quæ passim, ut 1. *Corinth. 15. v. 58.* & 2. *Corinth. 4. v. 17.* item *Matth. 10. v. 42.* & *ad Rom. 2. v. 6.* & 7. quibusvis bonis operibus promittunt mercedem æternam, seu gloriam: ergo augeatur gloria per quosvis actus bonos: ergo etiam gratia, ad cuius mensuram conferetur gloria. Cum autem in his, & aliis locis, non fiat mentio actuum intensorum, sed omnibus promittatur merces æterna: nec nos debemus dicere, solos actus intensos tale præmium mereri, & remissos ab eo excludi.

Prob. idem ant. ex Tridentino *sess. 6. can. 24.* ubi sic definitur: *Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri, coram DEO per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augende causam, anathema sit.* Hic iterum nullum fit discrimen inter opera bona intensa, & remissa, & de omnibus dicitur, quod per ea augeatur iustitia, quæ consistit, vel adæquatè, vel certè inadæquatè, in gratia sanctificante, & verosimiliter etiam in charitate habituali, vel certè hanc secum trahit: ergo augeatur gratia sanctificans, & cum ista etiam habitus charitatis. Eodem modo loquitur idem Concilium *ead. sess. 6. c. 16.* dicens: *Bene operantibus, usque in finem, & in DEO sperantibus, proponenda est vita æterna:* ubi iterum nulla exceptio, sed universalis promissio, facta omnibus bene operantibus: sive intensè, sive remissè operentur.

769. Neque in his locis tantum promittitur accidentale præmium, sed æternum gloria pondus, ut ait Apostolus 2. *Corinth. 4. v. 58.* vel, ut ait Tridentinum *sess. 6. c. 16.* *vita æterna*, quod est præmium substantiale beatitudinis. Neque etiam dici potest, non intendi gratiam, sed tantum priores gradus dari, aut conservari, ex novo titulo; sic enim merita nostra essent inanis titulus, nec homines stimulantur hac mercede ad bona opera. Potest quidem in aliquo casu, novus titulus præmii, esse aliquod incitamentum, quando præmium stat in laude, vel honore; sic e. g. aliquando præcis temporibus victori data est laurus ex duplici titulo duplicis victoriæ: at quando pro præmio non queritur laus, sed aliud bonum, non movet ad operandum duplex titulus. Certè, si quis duobus operariis, quorum unus duobus, alter uno die laboravit, æqualem mercedem daret, & diceret primo, se mercedem illi dare ex duobus titulis, non foret is contentus; quia non querit laudem, sed pecuniâs. Pariter nos per merita quarimus gratiam, & gloriam: non verò laudem tantum accidentalem. Hac de re iterum erit

agendi locus in *tr. de penit. à n. 346.* & 355. ex occasione reviviscentiæ meritorum.

770. Probatur idem ant. 4. ex absurdis sequelis oppositæ sententiæ; nam 1. juxta adversam sententiam ex duobus, quorum quilibet haberet habitum charitatis, vel gratiam ut sex, si unus statim moreretur, alter adhuc diu viveret per plures annos, nunquam autem eliceret actum intensiorem, quàm sex, hic non plus gratiæ, aut gloriæ haberet, quàm prior, quod est incredibile. 2. si quis eliciisset intensissimum actum charitatis (e. g. quando putavit, se subito occidendum pro Christo, non autem occisus fuit) ita, ut habitus plurimum intendatur, talis vix posset amplius aliquid mereri: certè rarissimò mereretur. hinc 3. iusti, cum frequentissimè non operentur intensius, imò neque tam intensè, quàm sit intensus eorum habitus, frequentissimè nihil mererentur: quæ utique absurda sunt. Confir. à priori. Actus etiam remissus, cum sit liber, honestus, & supernaturalis, est laudabilis, & placens DEO: ergo meritorius; nam omnis libera laudabilitas est digna præmio.

771. Dico 2. Hoc augmentum charitatis, & gratiæ, etiam ratione actus remissioris, statim datur, quando datur ipse actus, nec differtur ad vitæ finem, vel ingressum in beatitudinem, ut aliqui opinantur apud Haunoldum *l. 3. tr. 2. c. 2. contr. 4. n. 569.* ita communius nostri, & plures alii, citati à Tannero *loc. supra cit. n. 768.* Prob. conclusio. Nulla est excogitabilis ratio, quare DEUS non statim præmii actum intensione gratiæ: ergo liberalissimus DEUS statim confert intensiorem gratiam, & charitatem. prob. ant. 1. solutione objectionum. 2. sic. Non est expectandus actus intensior; alias, si quis moreretur, antequam denuo intensiorem actum eliceret, non præmiaretur. Non est expectanda mors; quia ad gratiæ præmium mors non requiritur, ut patet in præmio actuum intensiorum, & gratis dicitur requiri ad præmium remissiorum. Non est expectandus ingressus in cælum; tunc enim tempus est crescendi in gloria, non in gratia, quæ præsupponitur: ergo. Sed nec est paritas cum præmio gloriæ; nam quoad gloriam conferendam, est de fide, expectari conditionem mortis: at circa gratiam nulla est prærequisita talis conditio.

772. Ob. 1. contra 1. conclusionem. Congruum videtur, ut, qui negligenter, & remissè operatur, non præmiatur de novo: ergo. Confir. 1. Habitus naturales non intenduntur per actus remissos: ergo nec infusi. Confir. 2. Primam gratiam DEUS non dat supra mensuram dispositionis: ergo etiam non dat secundam. Resp. neg. suppositum; remissius enim operari, hoc est, minus intensè, non est negligenter operari; alias, nisi sancti viri semper intensissimè operarentur, negligentes, & culpabiles dicendi forent; cum tamen non semper habeant illustrationes ad actus intensissimos. Ad 1. confir. neg. conf. Habitus supernaturales, cum sint infusi, non acquisiti, non augentur

tur physicè ab actibus: sed meritorie, seu movendo DEUM ad ponendum augmentum: quæ est lata disparitas; nam habitus acquisiti physicè augentur ab actibus; unde, licet isti non intenderentur physicè ab actibus remissis, possent illi intendi meritorie. Sed etiam antecedens est probabiliter falsum, præsertim in mea sententia, quæ cum multis docet, habitus acquisitos stare in speciebus multiplicatis, & ordinatis, &c. nam species istæ multiplicantur etiam per actus remissos.

Ad 2. confir. conc. totum. Etiam augmentum gratiæ, ratione actuum remissorum dandum, non debet esse majus, quam sit gradus dispositionis: non autem video, cur non possit propterea gratia augeri; quo enim in sensu ille, qui jam habet plures gradus gratiæ, non sit dispositus ad alios novos gradus gratiæ? non enim potest talis dici positivè impeditus; quia potest recipere alios gradus, saltem si intensius operetur: neque potest dici negativè non dispositus, hoc est, non habens dispositionem positivam, in his circumstantiis requisitam, sive actum intensiorem; est enim vel maxime in questione, an, qui jam habet habitum gratiæ intensiorem, non sit dispositus, ad novos gradus gratiæ recipiendos, ratione actus remissi: & negatur à nobis, quod non sit dispositus: sicut etiam negatur, quod dispositio, seu actus, debeat esse intensior, quam gratia præcedens.

773. Ob. 2. Juxta nos deberet admitti augmentum gratiæ in infinitum: hoc est absurdum: ergo, prob. ma. daret actus remissus per quadrantem horæ: hic quadrans involvit infinitas partes proportionales indivisibiles, in quibus stat continuum temporis: ergo in qualibet tali parte, vel instanti augetur meritum: ergo in infinitum. Resp. 1. retorqueo argumentum in actus intensos ita durantes. Reponunt quidem contrarii auctores, quod aliquis per durationem actuum non plus mereatur: at hoc ipsum Haunoldus l. 3. n. 565. merito videtur esse contra sensum fidelium. Dein, si quis non meretur plus per durationem actus intensi, neque merebitur plus per durationem actus remissi. Resp. 2. ex hoc ipso absurdo, quod intra quadrantem horæ esset tempus infinitum, merito hanc sententiam de continuo rejici.

774. Resp. 3. si non sit absurdum, quod quadrans horæ sit tempus infinitum, etiam eodem modo non fore absurdum, quod ratione durationis, talis actus sit infinitus; & præmium ejus infinitum. Verum nemo dicit (nisi ridiculam de nomine questionem faciat) quadrantem horæ esse tempus simpliciter infinitum; quia intra quadrantem non dantur categorematice infinita instantia, æqualia uni certo (saltem negant patroni continui divisibilis in infinitum, sequi ista ex eorum sententia: & si admitterent, eo ipso essent deferendi) & hinc pariter neque dabuntur categorematice infiniti gradus gratiæ, aut charitatis in

actu per quadrantem durante. Ex illis autem indivisibilibus proportionalibus particulis gratiæ, & charitatis, ita poterit fieri unus certus gradus, vel numerus graduum gratiæ, & charitatis, sicut in hac opinione de continuo potest fieri ex talibus infinitis partibus temporis unus quadrans horæ.

Hæc dicta sint ex suppositione, quod continuum constet ex infinitis partibus, quæ suppositio tamen mihi est falsa; nam juxta me continuum componitur non ex partibus realiter, aut virtualiter divisibilibus in infinitum, sed tantum divisibilibus usque ad numerum aliquem finitum. Unde si etiam intra quadrantem nunquam interrumpatur actus liber, & meritorius (quod tamen creditu est valde difficile) respondebit ei augmentum gratiæ, & charitatis divisibile: at non in partes infinitas, sed finitas, easque majores, vel minores, pro merito actus: quæ partes dein componunt illud augmentum, seu illum gradum, vel illos gradus gratiæ, aut charitatis, ad quos se extendit meritum totius actus.

ARTICULUS IV.

An Actus Charitatis formaliter justificet.

775. **N**on queritur hæc, an actus charitatis perfectæ (quem explicavimus n. 745.) justificationem, seu statum gratiæ, & amicitiae DEI; causet dispositivè, seu tanquam dispositio, qua posita justificatio à DEO conferatur; hoc enim interim supponitur probandum in tract. de penit. an. 205. ubi agitur de contritione perfecta ex amore DEI super omnia. Sed queritur, an actus charitatis, seu contritionis perfectæ, sit causa formalis justificationis, seu sit ipsa forma denominans justum, sicut albedo est forma denominans album: in qua questione sibi oppositi sunt Suarez, & Vasquez.

776. Et Vasquez quidem in 1. 2. tom. 2. disp. 203. per totam fusè contendit, probabiliter in adultis justificationem fieri formaliter per ipsum actum contritionis. Citat pro se aliquos, qui, ut ibi videre est, saltem in quibusdam principiis cum eo conveniunt. Secuti eum postea sunt Turrianus, alias Vasquii sectator ferè perpetuus, Gaspar Hurtadus, & alii non multi. Atverò Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 8. oppositum tradit, etque longè plures consentiunt, inter quos Tannerus tom. 2. disp. 6. q. 5. dub. 2. n. 39. ait, hanc sententiam esse communem Theologorum, tam veterum, quam recentiorum, contrariam verò novam. Gonetus tom. 4. tract. 9. disp. 1. de just. peccatoris a. 3. n. 42. ait, Vasquii sententiam communiter rejici à Theologis. Haunoldus l. 2. tr. 3. c. 1. controuv. 7. n. 690. asserit, ita antiquiores sentire, Scotum, Durandum, Paludanum, Gabrielem, quos secuti sint alii Henriquez, Coninck, Grana-dus, Oviedo & alii. Imò ipse Vasquez loc. cit.